AD HIPPOLYTAM PALEOTTAM CRASSAM IULII IACOBONII PANEGYRICUS

Giulio Iacoboni

1047-25

·921.

AD

HIPPOLYTAM PALAEOTTAM CRASSAM

IVLII IACOBONII

PANEGYRICVS



BONONIAE, APVD IOANNEM ROSSIVM

MDLXXXI.

Curiae Epiſc & S. Inquiſit: permiſſu.

M 1047.25

AD HIPPOLYTAM PALAEOTTAM CRASSAM.

IVLII IACOBONII PANEGYRICVS.

QVAM longe a veritate aberrent, qui mulierum genus mancum, atque imbecille, minimeq. bonarum artium ſtudÿs idoneum aſſeuerant, haud perdiſſicile eſt cognitu. Nam ſi ad Graecorum tempora animum, ac cogitationem conuertimus, infinitus occurrit mulierum numerus, quae ad noſtram vſque memoriam multis, atque adeo

praeclaris doctrinae ornamentis, omniq. ſcientiarum genere praefulgent. Longum eſt iter ad omnes. quarum ordinem optare magis, quam ullo pacto recenſere quiſquam valet. Quotus autem quiſque eſt, qui primus (ut dicitur) labys guſtarit hiſtoriam, cui non cognitae pleniſſimae ſint diſciplinarum nomine clariſſimae, ac praeſtantiſſimae feminae: Themiſtoclea Pithagorae ſoror, Areta Ariſtippi filia, Cleobolina, quam unus ex ſeptem ſapientibus Cleobolus genuit? cui notiſſimae non ſunt nobiliſſimae omnium poetriae, Corynna, Sappho, tot veterum monumentis decantatae? quarum altera, Lyricorum Principem, Pindarum, quinquies viciſſe fertur; altera vero Mnemoſinem, Muſarum matrem, cantus dulcedine ſtupidam (ni paruam Antipatri Sidonio fidem habemus) magnopere detinuit, & ad Muſarum numerum decima adſcita. Neque cuiquam ignota eſt, Erinnes illa, quae ad Homeri exemplum carmina tercentum mire compoſuiſſe dicitur. De Latinis autem, quis non Cornificiam, Sulpiciam Marcellam creberrime legit? quis non Laeliam, L. Craſ-

Craſsi ſocrum? quam Craſſus ipſe ob linguae elegantiam, ingenijq. acumen, libentius ſe audire dictitabat, quam aut Plautum, aut Naeuium. Cui non ſaepiſsime Hortenſia, Hortenſij Oratoris filia occurrit? quam publice cauſſam bene, ac feliciter egiſſe memorant. cui non ſe ſe legenti offert Polla, Lucani vxor, atque Plinij Calpurnia? Non ne ſemper pueri, atque infantiſsimi eſſemus, niſi Carmentae Nicoſtratae inuenta antiquitas didiciſſet? etenim priſcorum Heroum. quos gentilitas habuit. Achillis, Hectoris, Xerſis, Alexandri, Pyrrhi, Hannibalis, (& vt ad Latinos noſtros deſcendam) Brutorum, Camillorum, Fabiorum, Scipionum, Pompeiorum, Caeſarum, ceterorumq. ex antiquis annalibus clarorum virorum, nunquam tantum nomen exſtitiſſet; neque tot gentes, tot nationes, tot vrbes, tot populi famam ad hoc tempus retinuiſſent, niſi vnius mulieris commento, atque ope ad litterarum cognitionem attracti homines, ea certiſsima eſſe, poſterorum memoriae tradidiſſent. Omitto (quae ſane vulgaria nimis iudicãtur) Palladem, quam

ſapientiae

ſapientiae parentem fama tenet; omitto Muſarum chorum: omitto nobiliſſimarum artium, Gratiarum, ac Virtutum omnium nomina feminis ipſis attributa. Iam vero per multorum exemplorum non Graecia, non Italia noſtra modo plena conſpicitur, ſed vniuerſum terrarum orbem, vltimasq. terras feminarum fama peragrata eſt; quae cum ceteris, quae quidem digna libero ſunt, ornatae artibus; tum acres inueſtigatrices, ac diligentes fuerunt earum rerum, quae a natura abditae, atque inuolutae videntur. Hinc Sagarum, hinc Fatidicarum mulierum praedictiones; hinc Sibyllarum oracula. Taceo relliquas. nam decem eas numero fuiſſe plurimos, ac maximos auctores ſcriptū reliquiſſe, nos ſcimus. Septimam tantum attingam, cui Cumanae nomen fuit: Licet alij Demophilem, alij Herophilem nominent. cuius tribus libris (ſex coram Tarquinio combuſtis, quod is pretij magnitudinem eſſet adſpernatus) Reſpublica Romana diutius recta, atque adminiſtrata fuit: coactis mox, Romamq. allatis ex omnibus tum Italicis, tum Graecis ciuitatibus, praecipueq.

praecipueq. ex Erythreis, quotquot Sibyllarum nomine volumina exſtiterint. quae magna deinde quindecim virorum vigilantia, ac ſtudio fuerunt adſeruata. E quamplurimis pauciſſima deligo; quibus apertiſſime oſtenderem, quantopere contemnenda eorum opinio ſit, qui probae, ſpectataeq. feminae nomen volunt, non ſecus, ac corpus, domeſticis parietibus coerceri; & tamquam clathris, & cancellis coarctari oportere. Nam Phocenſes, Troades, Amazones, Laconas, Perſides, Melias, Tyrrhenas, Lycias, Saguntinas, Mileſias, ſingulaſq. pluſquam virili animo mulieres ſcientiſſime tum a Graecis, tum a Latinis ſcriptoribus commemoratas, conſulto praetermitto. Huiuſmodi enim exempla, cum ab aetatis noſtrae memoria longiſſimè abſint, ſtulti facile incertiora reddent: mulierumq. calumniatores falſa, ac conficta illico facient. Neque hic diſputabo, cum hominem plenum rationis, atque conſilij, ideſt, diuinae illius aurae participem, quaſi mortalem deum, philoſophis placeat, eſſe ad intelligendum, ad agendum, ad omnemq. virtutem percipiendam a na

tura

tura genitum, an eius voce, & vocabulo mulier quoque etiam contineatur, vt quidem certe continetur. Quis vero hoc ignorat, ſapientiae munus eſſe, vt eos iuuet, ac inſtruat, qui corpore, & animo conſtant? Verum ad te, HIPPOLYTA PALAEOTTA, CRASSA, fluit oratio. cui quam ego noſtri ſaeculi feminam comparem, non audeo dicere. dicet pro me tua inclyta virtus: cuius virtutis, praeſtantisq. doctrinae exemplo probare me poſſe hominibus, mihi ipſe perſuadeo. diſciplinarum adipiſcendarum facultatem, haud inferiorem feminis, ac viris ineſſe. Tibi autem, cum non ad lanam, non ad telam, non, vt tardam aliquam, & languidam pecudem, ad pa[illegible], atque ad procreandi voluptatem, generoſam feminam eſſe ortam, optime videris: excuſsis radijs, coluque, ceterisq. muliercularum vilioribus inſtrumentis abiectis, ad animum virtutibus excolendum, ad veri perueſtigationem, ad caeli, quaſi priſtini domicilij, conſpectum (cuius ſpectaculum ad nullum aliud genus animalium pertinet) mentem omnem erexiſti: ſemper in promptu habens, quantum natura

tura noſtra pecudibus, reliquiſq. beſtijs antecellat. Dum enim mulierum vulgus (at vtinam ſecus noſtri temporis viri) ſummum bonum in cibo, ac potatione, auriumq. oblectatione, atque obſcoenis voluptatibus ponunt: Tu diſcendo alerte, & cogitando ſemper aliquid, aut inquiris, aut agis. Dum aliae in poliendo, lauando, tergendoq. corpore; in fucanda, collinienda, pingendaq. facie aetatem inſumunt: dum proprio, veroq. colorem meliorem comparant: dum canitiem germanis (vt ait ille) inficiunt herbis; dum nucis cortice tingunt: dum albos a ſtirpe capillos vellunt: dum ſaepius mutatas comas diſponunt: dum ex alienis crines efficiunt ſuos: dum flauos ſumma curatura reddunt; dum comunt; dum ignito calamiſtro criſpant; dum cirros cum capillari, ac caliendro, vittis diſcoloribus, nectunt. dum glutino cincinnos componunt, oleoq. perungunt: dum coercent capronas, ne fluitent: dum conſpicuo gemmarum conu, florumq. ſtemmatibus, crepitantib. bracteolis, coaptant caput; vt criſtatas vpupis ad ſimiles prodeant: dum vultum, dempta pelle,

 referunt

referunt nouum: dum cutem molliunt; ceruſſaq. curant, candoris comparandi gratia: dum frontem radunt: dum genas, ac ſupercilia pilant: dum dentes pumiceo expoliunt puluere: dum vngues purgant; dum docta artificis ſubſecant manu: dum pectus deuinciunt; dum male opertum laxo relinquunt ſinu: dum lumbos, conſutis follibus, eminentiores effingunt; dum ilia exporgunt: dum reliquis grandiores, praealtis crepidis, ac calopodys praeſtare ſe ſtudent: dum mollia, ac tenuia linteola, multimodis complicata, proelo premunt: dum mille ac mille aciculis confixa, vt flexuoſe ex humero volitent, accommodant: dum greſſus grandiendi gratia arcuatas, atque orbiculatas veſtes conſuunt: dum torquibus, monilibus, atque ab vſque Oriente petitis lapillis, collum ornant. dum rugata collaria induunt: dum anulis grauidas aggerant manus: dum ambas aures, ſupra quam ferre poſſint, onere grauant: dum armillis, ſpintheribusq. aureis brachia, ceu manicis, conſtringunt: dum ſtrutiocameli plumis, varioq. pennarũ fulgore Pauonum, ſumma arte, elaborata

flabella

ſlabella conquirunt; vt nihil impedientes muſcas ambigant: dum cum catellis, ſimiolis, cercopithecis, atque huiuſcemodi beſtiolis ludunt: dum martes, vulpeculas, feles, pantheras, aureis conflatis capitibus, vel ex humero, vel brachijs pendentes ferre geſtiunt: dum totas ſe ad ſpeculum componunt: dum ad vitam denique confertam illecebrarum omnium varietate excolendam ſe formant, atque inſtituunt: Tu iſtaec, vt parum pudicarum mulierum, ab animo, & cogitatione longe repellens, ad virtutem; atque ad politiores artes, quae virtutis magiſtrae ſunt, mulieribus quamplurimis, propter harum rerum inanium ſtudia, interclusas otiū omne impendis. Non *enim mulieris formam (cuius dignitas aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate extinguitur) ſed egregium nomen, atque famam debere apud quamplurimos eſſe vulgatam magnopere dijudicans, ad undique expletam, abſolutamq. honeſtatis ſpeciem aſſidue incumbis.* Neque *vero corporis pulchritudinem, apta compoſitione membrorum, tam belle mouere oculos, ac delectare poſſe, animum indu*

 cis

cis tuum hoc ipſo, quod diximus; vt ſcilicet omnes inter ſe partes cum quodam lepore conſentiant: quam hoc decorum, atque animi ornamentum, quod elucet in vita; moneat approbationem eorum, quibus cum viuitur, ordine, conſtantia, & moderatione omnium dictorum, atque factorum. Nunquam (opinor) te ipſa in ſpeculo contemplaris, quin, ſi deformis tibi aliqua ex parte videare, corporis deformitatem virtutibus compenſandam illico cogites; ſin formoſa (nam hoc etiam natura tibi non parce dedit) agendum ſane, quod deceat formam. Dent ſe ſe aliae ad ludendum, ad varias, atque ingenuo animo indignas exercitationes: Tibi omnino perplacet, cum Graecis Latina coniungere; atque ita eorum ſcripta imitari, vt hominum mentes paene illuſionibus videaris praeſtringere. Fabellarum aliae auditione capiantur; ducantur mimorum ſpectaculis, ex quibus nulla vtilitas, praeter ſolutos riſus, ineptoſq. cachinnos, ac puerilem delectationem, comparatur: Tu priſcorum modo Comicorum, Tragicorum modo fabulas in manus ſumens, ad recte vitam inſtituendam;

ſtituendam, ad varietates, iniuriaſq. fortunae, quae humanae vitae impendent, ſuperandas, varios ex ijs caſus, atque hominum mores deli-bans, idonea admodum, atque appoſita tibi exempla deſumis. Vulgaribus cantilenis laſciuia, ac petulantia diſſluentibus, delectentur aliae; inepta ſe aliae vocis iactatione oblectent: Tu admanſuetiores Muſae te referens, carmina ſumma numerorum ratione, ac venuſtate ad cu-ſpiam ex antiquis poetis aemulationem, nunc Latine, nunc Graece elucubrata, modulare. Iuuet alias nugigerulos, famigeratores, ſcurras, citharoedos, citharistriaſq. ſaltatores, ſaltatriceſq. deliciarum, atque amorum comites, ad ſe accerſere: Tu audiendi doctos, graueſq. ac litteratos viros miro ſtudio impelleris. Aliarum ſtudium ſit, e clathratis feneſtris, ſpeculabuſq. laſciuientium hominum errores, ſtultorumq. leuitates aucupari: Tu in conclaui ſedens ex philoſophorum ſcriptis plurimas res cognoſcere aues; cognitaſq. poſteris teſtatas relinquere: unde optimorum virorum gratiam, ac beneuolentiam perpetuo veneris. Libeat alijs

ſericeis

ſericeis, picturatiſq. veſtibus oſtro, atque auro contextis egredi: adyciat nouos, ac varios proxima quaeque ornatus dies; vltra vires, & pluſquam ſatis eſt, habitus nitore ſplendeant altae; aliae myrrha, atque exoticis conſpergantur vnguentis; ſuaues oleant odores: profundant, dilapident, perdant; non ſentiant pereuntem cenſum; de aliena deſumant arca, dum voluptatem expleant; non cernant, quantum ſua gaudia conſtent: Tu tenuiori cultu, ac ſimplicitate cōtenta, multo infra tuae nobilitatis ſplendorem; opum, ac fortunarum faſtigia te ſubmittens, bono te ingenio, morumq. optimorum; modeſtiae, temperantiae, prudentiae, fidei, probitatis eximiae ornamentis excultam, quam multo auro, gemmiſq. nitentem & eſſe, & videri mauis: recte quidem tum olere te putans, dum nihil omnino oles. Nequidquam tu bene ornatam eſſe mulierem cenſes, dum morata eſt male; quinetiam eam magis amandam exiſtimas, quae naturae beneficio, quam quae factis comptibus, atque induſtria, probatur. Summae aliae dotes exprobrent: genus, ac generis nobilitatem

nobilitatem iactent: rixentur; totam conturbent domum; familiam omnem exagitent; viris aduerſatrices ſint: Tu optimus compoſita moribus, ad ſummam modeſtiam, ac lenitatem a pueritia edocta, atque erudita: nobilitatem, & potentiam, non arma iniuriae; ſed bonitatis, comitatisq. inſtrumenta habens; non conuicys errantes, ſonteſq. caſtigas, ſed modum ſeruans, ſumma cum clementia, atque amore emendas. Non duxit vir tuus imperium, non lites, non iurgia domum; ſed ſecundis rebus ſociam; ex quo gaudium illi augetur: aduerſis aeque maerentem; vnde conſolatio non minima deriuatur: ceterisq. rebus, quae ad cultum, victum, vitamq. pertinent, fidam, atque ſedulam adiutricem. Nihil tu quidquam detrahere de viro coniugem; non aere obrus alieno, dum auratam, ac cocco cultam vxorem ſpectet, inſtando, atque odio impellis. non tu denique, te viro (vt mos eſt) praeponis, ac praefers: non leuibus, minimiſq. de rebus iraſceris; ſed ſemper placida, atque morigera, praeſto illi es in rebus omnibus. Longo procedant aliae pediſſequarum

rum cu dine: ſtipentur ſeruorum numero: ſurſum verſum carpentis ceroſtroso contextis; concameratis, auratiſq. curribus, vel centies in die vectae, vt ſtolidam iuuentutem irretiant, proueharis: Tu perpaucorum famulatu gaudens, domo perquam raro egrederis; idq. aut animi relaxandi, aut templa adeundi, aut tuos viſendi ſtudio; aut honeſtarum matronarum, pudicarumq feminarum animis obſequendi gratia, tuam conſuetudinem, ac ſuaue conſortium expetentium. Non tu denique multiplici, ac varia ſupellectili, Attalicisq. aulaeis cubicula referta exoptas: ſed magna librorum copia, ſummaq. diligentia conquiſitis vetuſtorum ſcriptorum monumentis, exſtructa. Hoc ſane tui eſſe officij munus exiſtimas, vt ea, quae ignoras, perquam ſedulo diſcas; & ea, quae ſcis, alios docere optime poßis. Habes vbi doctrinam exerceas tuam; habes quos tua imitatione erudias; Carolum, & Gabrielem, filios, eximiae indolis pueros; & ad omnia, quibus ſe dederint, addiſcenda ſane aptiſſimos; te matre ſcilicet tanta, tamq. erudita conceptos; tanto, tamq. illuſtri,

ſtri, ac docto genitore, PARIDE. *Non immerito igitur, quem ego & nominis, & ſtudiorum ſimilitudine diligo, cecinit Iulius Signius:*

Fortunate pater, felix doctiſsima mater:
Hoſce quibus natos fata dedere duos.
En Carolus Caroli veſtigia clara ſequetur;
Atque breui Gabriel alter erit Gabriel.

Nemo non recte augurari videtur: tuos liberos, ſi tuis praeceptis, inſtitutiſq. philoſophicis abundarint; iiſdemq. itineribus, quibus tu ad ſcientiae gloriam perueniſti, decurrerint; eſſe duos Cardinales ampliſsimos, quos aetas noſtra tulit, CAROLVM CRASSVM, & GABRIELEM PALAEOTTVM; *alterum tui coniugis fratrem; patruum vero tuum alterum; virtutum ſplendore, ac doctrinae praeſtantia aequaturos. De duobus iſtis proceribus, atque illuſtriſsimis viris plura hac oratione perſtringerem, niſi tuo ſummo eloquentiae lumine, quo vna cum ſcientiae laude vtraſq. familias nobiliores facis, eorum virtutem illuſtriorem futuram quoque conſiderem. Horum igitur ampliſsima dignitas, ac dignitatis inſignia, vt Miltiadis tro-*

phaea, noctes atque dies puerorum animos gloriae ſtimulis concitabunt. Ex quo non minus tu tuis liberis gloriari poteris, atque Cornelia illa Tiberij, Caijq. Gracchorum mater; quae Campanae mulieri ornamenta pulcherrima, aurum, gemmasq. oſtentanti, duos oppoſuit eruditos filios, vera matronarum ornamenta. Neque vero comparatio (opinor) diſcrepat. fuit & illa doctiſsima, & latinae puritatis diligentiſsima obſeruatrix; atque etiam epiſtolas elegantiſsime ſcriptas reliquit. Illeo, quod ipſa itidem virum habuit, ſui amantiſsimum, Tiberium Gracchum; qui cum virtutibus omnibus inſignis, Romae Cenſor, & bis Conſul fuiſſet, duos quoque domum triumphos reportauit. fuitq. illi pater, fama notiſsimus, Scipio ille, qui Hannibalem deuicit. Eorum alteri PARIDEM *coniugem, alteri* CAMILLVM PALAEOTTVM, *parentem tuum, de prudentia, de rerum cognitione, de temperantia, de modeſtia, de magnitudine animi, de omni denique honeſtate libenter confero. Cum igitur ea, quae dixi, ſole meridiano clariora videantur; cum*

tota

tota noſtra oratio, idem hominibus (ni fallor) faciat; cum paene pueris, ac mutis beſtijs perſuaſiſſe me, mihi perſuadeam. reſtat, ut ego, ſicut tuarum uirtutum admirator ſum; ita te dignam ſtudioſis ingenuarum artium, dignam eruditis, dignam claris uiris, dignam principibus, dignam regibus, perpetuo ſtudio, atq. obſeruantia colam

99957383